



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Alfonso Avrien. Episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

pressa, ad sedem apostolicam destinatis, statuentes partibus terminum competentem, quo recepturæ sententiam nostro se conspectui repræsentent. Si qua verò partium super principali vel incidenti duxerit appellandum, vos nihilominus, quantum de jure poteritis, servato tamen mandati nostri tenore, in ipsius inquisitione negotij procedatis. Quòd si omnes &c. tu frater Episcopo &c. Datum Romæ &c. II. Non. Junij &c.

ALFONSO AVRLEN.  
Episcopo.

Epist. 254.  
Statutum aliquod  
novum confir-  
matur.

**Q**Væ ad ampliandum cultum divini nominis à Prælati Ecclesiarum providè statuuntur, firma debent & inconcussa servari, & ad obtinendum robur perpetuæ firmitatis apostolico præsidio communiri. Significasti siquidem nobis quòd ut in Ecclesia tua solenniùs Domino serviretur, de consilio Capituli tui sex præbendarum proventus provida deliberatione conferre duodecim portionariis statuisti qui debeant in eadem Ecclesia ad supplendum aliorum defectum continuè residere. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis precibus annuentes, institutionem ipsam, sicut providè facta est & recepta, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum VIII. Idus Junij &c.

CVPERSANO EPISCOPO  
& Archidiacono Oritan.

Epist. 255.  
Vt contra Episcopum Muti-  
lensem, dilapi-  
datorem, & a-  
liorum crimi-  
num reum in-  
quirant, & Ar-  
chidiaconum,  
quem spoliavit,  
restituant.

**D**ilecto filio Hugone Mutilen. Archidiacono conquerente didicimus quòd cum quondam Mutilen. Episcopus curam rerum Mutilen. Ecclesiæ olim ei Cantori & Thesaurario, præsentis Capitulo, assignasset, venerabilis frater noster Mutilen. Episcopus eum, quia quendam mulam Ecclesiæ cuidam Clerico commodaverat, quæ ei fuit postmodum violenter ablata, ipsum post appellationem ad sedem apostolicam interpositam & per se verberavit, & fecit ab aliis verberari. Qui in granario postmodum jussu præcipitatus ipsius, manibus post terga ligatis, cippo fuit & compedibus ferreis alligatus: ubi, propter poenæ alleviationem, Willielmo nepoti & Simoni genero ejusdem

Episcopi decreta & eorum summam cum rebus aliis concessit invitus. Cùm autem de tam arcta custodia fuisset, sicut asserit, non humano sed divino potius auxilio liberatus, idem Episcopus eum ab officio beneficiique suspendit, & Willielmum nepotem suum in castro Massastro Archidiaconum, & quendam alium in Mutilen. Ecclesia in præjudicium juris ejus Archipresbyterum ordinavit, & eundem Archidiaconum Stephanus filius Alfaranæ, Bajulus civitatis, mobilibus spoliavit, & dominator civitatis immobilia auferens, eidem Archidiacono civitatis aditum interdixit. Proposuit etiam idem Archidiaconus gravia contra Episcopum memoratum, super electione non canonica, dilapidatione Ecclesiæ, & crimine simoniæ, ac quòd Episcopus ipse cujusdam manifesti adulteri & alterius falsarii familiaritate utatur. Verùm quia nobis non constat de prædictis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis audiat quæ fuerint hinc inde proposita, & receptis testibus, & attestationibus publicatis, & examinatis legitime, gesta omnia redacta in scriptis, & sigillorum vestrorum munimine roborata, ad nos dirigere procuretis, statuentes partibus terminum competentem, infra quem, recepturæ sententiam, nostro se conspectui repræsentent. Interim autem Archidiaconum ipsum ad officium & beneficium & dignitatem archidiaconatus restituitis, si id de jure videritis faciendum. Eos autem qui in eum manus injecere temerè violentas, tamdiu excommunicatos denunciatis & mandetis ab omnibus evitari, donec passo injuriam & de ablati omnibus & illatis injuriis satisfecerint competenter, & cum vestrarum testimonio literarum ad sedem apostolicam venerint absolvendi. Dictos præterea Episcopum, Willielmum, & Simonem ad restitutionem librorum & aliarum rerum, prout justum fuerit, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis. Testes autem &c. cogantur. Quòd si ambo &c. tu frater Episcopo &c. Datum Romæ &c.

✠